

ipsius vel ipsorum substituere incontinenti, qui substituti et simili sacramento modo et forma quibus supra in omnibus astringantur. (6) Item volumus et ordinamus, mandamus et precipimus, quod predicti comes et Dalphinus iurent et iurare teneantur predicta omnia et singula servare, attendere et complere et nullo tempore contra per se vel per alios facere vel venire aliqua ratione vel causa, nec alicui contraire volenti in aliquo consentire et contrafacientes punire. Et quod predicti comes et Dalph(inus) per bonos et ydoneos fideiussores teneantur et debeant fideiubere infra festum beati Michahelis proxime venturum¹ alter alteri per se vel per alium recipienti efficaciter usque ad summam viginti milium florenorum nomine pene, quod predicta omnia et singula adtendent, facient et complebunt, prout superius continetur. Que pena solvi debeat parti observanti et attendenti predicta per partem non observantem predicta vel aliqua de predictis. Et tociens committetur, quociens contra predicta vel aliqua de predictis actum fuerit sive gestum. Paccionibus, ordinationibus, declaracionibus nostris et predictorum ut supra nichilominus in sua firmitate et robore duraturis. (7) Qui predictus comes incontinenti in nostra presencia iuxta mandatum et ordinationem nostram predicta universa et singula iuravit super sancta Dei ewangelia corporaliter manu tacta servare, attendere et complere et non contravenire per se vel per alium aliqua ratione vel causa vel contravenire volenti prebere consilium vel assensum. Et predicti procuratores procuratorio nomine dicti Dalph(in)i super anima ea in animam dicti Dalphini iuraverunt modo et forma, quibus iuravit dictus comes, et se facturos et curaturos, quod predictus Dalph(inu)s infra quindecim dies, postquam dicti procuratores ad ipsum accesserint, predicta iurabit, faciet et complebit² modo et forma, quibus predictus comes promisit et iuravit. Et nos Heinricus rex predictus in predictis omnibus ex certa scientia auctoritatem nostram interponimus et decretum. Si quis autem contra predicta vel aliqua de predictis fecerit, indignationem nostram perpetuo se noverit incursum. Et ad maiorem roboris firmitatem hanc presentem paginam sigilli nostri munimine iussimus roborari.

Dat. in castris ante Brixiam, XVI. Kal. Aug., indictione nona, anno Domini millesimo CCC undecimo, regni vero nostri anno tertio.

1) Sept. 29. 2) S. oben S. 590 Anm. 2.